

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6598

Auteur(s) : Geoffroy V le Bel, Anjou (comte)

Bénéficiaire(s) : Saumur (ville)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1138

Lieu d'émission : Le Mans Carrouges

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Apposition de la croix de Henri, encore enfant, au bas d'une charte de Geoffroi le Bel, comte d'Anjou, son père, relative au vinage de Saumur.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° I*, t. 1, p. 4-6.

Texte établi d'après a

Ego Gaufridus cognomine Martellus, Dei gratia Andecavorum comes, filius Fulconis, bone memorie regis Jerusalem, consilio fidelium meorum, ad reprimendam servientum meorum perversitatem, et ad captandum benivolentiam hominum meorum Salmuri, concedo isdem hominibus Salmuri et sigillo nostri comitatus firmari precipio ut perpetualiter teneant et absque ulla revocatione possideant vinagia omnium vinearum Salmuri, ubicumque sint, vel citra Ligerim vel ultra Ligerim, vel [citra] Toerium vel ultra Toerium, hac conditione scilicet quod pro unoquoque arpento vinee unoquoque anno in festo Sancti Martini hyemalis IIII solidos Andecavensis monete recipiam, de vineis dico que vinagia debent, salvo jure in omnibus monasterii et monachorum Sancti Florentii. Dimitto etiam bannum vendendi vinum quod solebant antecessores mei et ego, ita quod prepositus vel aliquis alius nullum vinum sub banno vendat. Precipio denuo ne vinearum custodes in vineis Salmuri amplius ponantur, quia vineas in custodia mea recipio, et custodem vinearum me facio et sub lege confirmo. Quod si quis comprobatur de furto vinee extirpande, de furtiva vinee vel vindemie rapina, de furto etiam lignorum vel lignicolorum vinearum, abscisionem unius membri luet aut quinquaginta solidos mihi solvet. Hanc concessionem facit mecum Matildis, uxor mea, Henrici regis Anglorum filia, post mortem Henrici Romanorum imperatoris michi legitimo conubio sociata. Hac quippe occasione ab hominibus nostris IIIa milia solidorum recepimus, et unicuique filiorum nostrorum sciphum argenti tribui constituimus.

Hec concessio facta est Cenomannis, ante januas Sancti Petri de Curia, anno ab incarnatione Domini M.C.XXX.VIII, primo anno regni Ludovici filii Philippi (sic), Hugone Cenomannensi episcopo, Ulgerio Andecavensi episcopo ; astantibus in presentia comitis Pagano de Vallibus Claris, Andrea de Doeto, Petro Rotonardo, Brientio de Martiniaco et Mauritio, fratre suo, Johanne Borello, Jaquelino de Malleio, Fulchone forestario, Rossello de Monte Falconis, Aimerico de Averio, Rainaldo Cenomannis vicario, Josschone, Rainaldo, Frotm[undo], Fulcone et Symone camerariis, Robino Salmuri preposito.

Hoc factum est per investigationem Constanti Mincerii, Achardi Arduini, Symonis de Castello, Willermi Heremitelli, Goscelini de Doeto, Ysemberti, Stephani, Rogerii Anglici, Audeberti militis, Michaelis Rotberti.

Hec carta data est per manum Tome prioris Lochensis, notarii comitis.

Signum Matildis + comitisse

Signum Henrici + comitis filii

Signum Welmi (sic) + comitis filii

Corroboratio hec signorum suppositorum facta est apud Carrogium, Normannie oppidum, a Matildi comitissa et duobus filiis suis Henrico et Guillelmo, presente patre ipsorum consule Goffredo, videntibus Guillelmo de Silleio, Guidone de Sablolo, Guillelmo Goeto, Alexandro de Boum, cohortis comitisse primipilo, Roberto de Poceio, die tertio post datam cartam.

Signum Goffredi + comitis filii

Redeuntes vero de Carrogio, Stephanus burgensis oppidi Salmuri et Rainaldus de Pinu, Sancti Florentii monachus, digitis cujus tota hec carta scripta est, et Goffredum comitis filium adeuntes, qui in opidum Salmuri apud Goscelinum Rotonardi nutriebatur, scriptum suum ei tradiderunt, atque sua manu propria signo crucis dominice cartam hanc muniri fecerunt, vidente Matheo Sancti Florentii abbate, Goscelino Rotonardi, Guillelmo Gandrilli, Aimerico de Castellonio, Aimerico de Sazilleio, Rainaldo de Monte Forti, Goffredo Clarembaudi.

Innocencio II Romanorum pontifice, Christo Domino regnante, qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.